203.)

[=Mscr. a. 7: n. 63]

M. Petro de Spina Aquisgrani
Pax Christi.

Suavissime adolescens M. Petre de Spina nun-
quam credas tuae erga me pietatis perfectum
satis ardorem ex animo meo sensim excidere pos-
se, altiusque impressus est, quam ut ulla vetustate obli-
teretur. Hos fluxos Christi dum spiritus im-
buet artus, usque tui mi Petre Molano cura ma-
nebit. Ipse meo gemitu ad Christum, qui vita
piorum est, Saepius occurres animo dulcissime
nostro. Sed non est ignota tibi meae vitae con-
ditio. Semper ita distineor negotiolis nescio qui-
bus, semper ita distendor ac distrahor, ut absentibus
amicis quam minimum operae dare possim. Postre-
mis literis spem nobis ostenderas mutui congres-
sus, quae quur nos frustrata sit scire si scripseris.
Desidero item audire ex te (non sane curiose sed
ex amicitiae nostrae fiducia) postquam isthinc
profligati sunt fratres, ecquos habeas vitae tu-
ae socios fideles, quorum consuetudine, quod in
te est donum Dei corroboretur, et crescat in
mensuram aetatis plenae adultae Christi. Prae-
terea, quod jam a me bis factitatum est, num
tute illud semel aliquando sis facturus? postre-
mo, ecquid audias de veteribus amicis patriotis.
Godofrido, Rhodo, Esclusio, Vossio praeceptore
meo, Moenio, Costenoblio, quorum nondum obli-
visci possum. Nobis hic res hactenus fuerunt humi-
les eoque tranquillae fuerunt in templo [illegible]
in concinna me non mediocriter cruciat, ni[illegible]
les satis honestum, quamvis non admodum frequen-
tem congressum habemus. Bona me spes habet, [illegible]

minum, qui praeceptor fuit aliquos suo tempore progres-
sus daturum esse. Quod ad ipsius gloriam maxime
pertinet, id vel cum pudore nostro feliciter suc-
cedat. Amen. Si quando huc venies (cum te Vesaliam
iter habere scripseras) fac ut in meis aedibus primum
percontaris, neque aliud hospitium quaeras, quia laxi-
orem, quam in quo antea angustè habitabam, nunc ha-
beo, ubi honestè collocare amicum aut hospitem
possim. Nuper Michael quem nosti (ni fallor) diebus
aliquot in his oris commoratus est. Narheidium
se pollicitus perrecturum, ut veterem praeceptorem
inviseret jam minus longè disjunctum. Postridie quam
Michaël discesserat, venit huc visendi coetus no-
stri causa pius sanè adolescens Doctoris piiss. me-
moriae filius, qui Bremae solet in convictu jucundissimus
tuis similisque esse. Istorum exemplis te invitatum
iri spero, ut si res ferent tuae, si vocationis tuae si ci-
tra dispendium licebit diebus aliquot te nobis dedas
fruendum. Non habeo tantum opum ut me largiter a-
micis impertiam, sed nihilominus decidemus aliquid fe-
riis rebus, quod tam necessario amico impendi pos-
sit. Vale. Non enim diutius epistolae immorari
possum, ad scholam properans, ut explicem, si possim
illud, quod ex Esaia citat Apostolus: Plures filii deser-
tae quam ejus qui habet maritum, cui repugnare vide-
tur, quod 24 cap. idem ait Propheta, ut si pauca uvae
reliquae sint in vindemiatione, fuerunt in terra tollen-
tes vocem et laudantes Deum. Filius Dei con-
firmet et perficiat, quod in te jam olim coepit
ejus bonum ad gloriam sui ~~cogitationem~~ nominis
Amen. Dominica 4. post Trinitat. Duisburgi 1560.